



Reuerendi Patris P. Hieremiæ Drexelii e Societate Iesu Opera omnia

Duobus nunc Voluminibus comprehensa, & libellis ante hac non editis
aucta ; Illvstrata, Indicibvs Moralibus, Locorum S. Scripturæ, Capitalium
Mysteriorum fidei, Rerum, & Concionum quouis anni tempore habendarum
; Congestis Et Compositis Methodo prorsus, alijs Auctoribus inusitata ; Sed
Theologis ...

Drexel, Jeremias

Antverpiæ, 1643

Cap. XXIX. Quid Sancti Patres Chrysostomus, Augustinus, Bernardus, de
linguâ jurante senserint.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77028](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77028)

lus & officii sui satagens peregrinum hominem ante somnum convenit rogavitque, num quid rerum deesset; simul ignem singulariter observavit jam pane in favillam confusse, nec quidquam periculi ab eo metuentum. Sic abiit à cubiculo. Has ipsas aedes sub undecimam noctis horam excubitor transiit, viditque in eâ parte ædium, ubi Antonius morabatur, plurimum luminis effulgere: quia tamen incendium suspicatus non est, frustra ciere turbas noluit. Idem vigil non multo post ibidem præterit. Sed jam vehementior ille cubuli fulgor decreverat. Eâdem horâ soror Antonii vix mille passibus ab oppido distans etiamnum in opere erat, & fila ducebat. Cum ecce colum subitus è foco ignis invadit, ægrè repressus aquâ. Eâdem nocte ante parochi domum horribiles latratus canis edidit. Manè Antonii soror maritum mittit Geradimonium ad invilendum fratrem. Expectat is ultra horam in hospicio, dum affinis surgeret. Nemo prodit. Tandem pulsât ad cubiculum: nemo respondet. Denique rogat hospitem, aperiat. Ingredivuntur ambo, & miserum reperiunt fœdè ustulatum ac mortuum; illâs à flammâ pedibus Cræneum primo tactu in cineres solutum, scabellum cui infederat, pane combustum. Omnis pecunia quam secum in loculis deferebat, ab igne intacta erat. Hoc quamprimum urbe totâ vulgatum est. Mox omnes ad triste spectaculum convolarunt. Fama etiam Bruxellas iit ad Belgii principes, qui virum gravem miserunt, ut in rei fidem inquireret. Omnia, prout narravimus, comperta. Nimirum vigilâ divina Vindicta, nec perjuris dormit, præsertim cum illi tam securi sceleris in somnum declinant. Repeto illud beati Jacobi: *Ante omnia, fratres mei, nolite jurare.*

Seu Adri-
nopolim.

§. VI.

Sed dices, hi quos nominasti, falsò jurarunt; ego, alii-
que leviter & incogitati juramus, & modò Deum, modò diabolum nominamus testem: quid hoc tanti momenti sit? Non est ita, mi vir ut dicis: nam ille nobilis Silesius præcipitante irâ, & inconsideratus juravit. Deinde verò, eum te esse finge qui semper verum dicas, quotiescunque dicis: Testem Deum appello; Ne sim falsus, si hoc fecero; diabolus me avehat, si hoc patiar: esto, inquam, te talia dicendo veritati nunquam contradicere (quod fieri non potest) per hanc tamen pessimam jurandi consuetudinem, inobservatis lapsibus, devenies ut etiam falsâ juramenti confirmes. Crede mihi, regula est certissima: *Sape jurando perjuri finis.* Omne autem perjurium letale delictum est; neque hic, ut in aliis, rei levitas excusat. Sapienter præmonet Ambrosius: *Nolite ergo jurare, ne incipias peccare;* hoc illud è vestigio sequitur. Hanc ipsam ob causam divus Jacobus cavere jubens: *Nolite, inquit, jurare, ne decidatis,* ab uno in aliud juramentum, à juramento in perjurium, ob perjuriam iusto Dei iudicio dammandi.

Ambrosius in
exhortat. ad
Virg.

Matt. c. v.
v. 33 usque
ad v. 38.

Denique legislator divinus, Christus Dominus, sanctissimam in omnia juramenta legem, & nulli antiquam promulgans: *Audistis, inquit, quia dictum est antiquis. Non perjurabis, reddes autem Domino juramenta tua.* Ego autem dico vobis non jurare omnino; neque per calum, quia thronus Dei est; neque per terram, quia scabellum est pedum ejus; neque per Ierosolimam, quia civitas est Magni regis, neque per caput tuum juraveris, quia non potes unum capillum album facere, aut nigrum. Sit sermo autem vester, est, est; non, non: quod autem his abundantius est, à malo est. Si eam observantiam Deo debemus, ut non nisi ad res ipso dignas, testem eum vocemus, cujus obsecro momenti sunt pleraque omnia, vanissima certe illa juramenta? Quare prohibet Christus, imò jam prohibitum esse docet, jurare. Neque tantum vetat, per Deum; sed & per res creatas jurare. Quod autem abundantius est simplici affirmatione, vel negatione, à malo est, à diabolo introductum est.

Ex hominum vitiis natum est juramentum, quòd mendaces sint plerique, subdoli, flexiloqui, vari, nec eam colant simplicitatem atque sinceritatem quam dicat ratio. Nemo autem minus metetur fidem quam is qui frequenter jurat. Vult itaque Servator, nos adeò spectat morum integritate vivere, ut nemo nobis non credat etiam injuratis: adeoque aperta simplicitate, ut vicissim nulli non credamus injurato, sitque sermo Christiani iustarum jurandi. Iudorus Pelusiota insigniter: *Si nos, inquit, greges es, inquit, ac sub bono illo pastore censeris, ferarum naturam ac similitudinem abjura; & ipsius voci obtempera, quod ne omnino jures, prohibet. Quod si jurare minime vis, nec ab alio juramentum ut jurent extorque. Idg. duplici de causâ, nimirum quia veri studiosus est qui interrogatur: aut contra, quia libenter mentitur. Si enim ille vera loqui solet, omnino etiam multo interposito jurejurando vera loquetur: Si autem mendax est, rans etiam mentietur. Non sine causâ Siracides: Loquida, inquit, multum jurans horripilationem capiti statuet. Et quum profectò est, ut cum multum juratur, caput audientis exhorrescat, quòd sanctissimum Dei nomen hic abjici videat & calcari. Non exigua virtus est, juramentis penitus abstinere.*

CAPVT XXIX.

Quid Sancti Patres, Chrysostomus, Augustinus, Bernardus de Lingua IVRANTIS E senserint.

Iuramentum reverenter adhibitu, licitum semper sanctumque habitum, ex usu omnium gentium & tribunalium constat. Sed alterum illud vanum, & sine causâ usurpari solitum, à Christo Salvatore prohibitum, variis & supplicis coercendum, sanctissimi quidamque & eruditissimi viri gravissimè detestati sunt. Ex eorum numero tres potissimum selegi, Chrysostomum, Augustinum, Bernardum, pricos doctores, quorum sententias perrogare institui. Dicent illi quid de improba jurandi consuetudine sentiendum. Quâ in re requirunt nobis capitâ præcipue persequenda. Primum Jurandi consuetudinem assiduis objurcationibus esse convellendam. Secundum. A Juramentis ad perjuriam facilimè transiri. Tertium. Non tantum non jurandum, sed nec juramentum sine necessitate postulandum. Quartum, E Juramentis plurima, maxima provenire damna. Quintum. Jurandi consuetudinem facile posse corrigi. De his breviter, & ordine signato disseremus, ex ore doctorum Patrum.

§. I.

Primum. Deterrimam jurandi consuetudinem assiduis inculcationibus castigandam, illustrissimè docuit Chrysostomus, qui vix unquam pro suggestu dixit, quin flagitiosam illam jurandi assiduitatem acri aceto perfunderet. Ipse de seipso testis: *Esti enim heri, ait, & natus tertius de hac vobis locutus sum materia, neque tamen hoc die desistam, neque cras, neque per eadem persuadere. Et quid dico crastinam aut tertiam diem? Donec vos correctos videam, non abistam.* Sed eadem iterum atque iterum inculcans, & pessimam jurandi consuetudinem identidem castigans: *Quid faciam?* inquit, donec vos correctos videam, non possum abistare proposito. Obsecrare, arguere, increpare, opportunè, importunè institit, Apostoli suavis, nec de eadem re sæpius obtundere destitit, dum adverteret hoc vitium saltem capi & intelligi, si non perfectè corrigi. Et veluti faber tundendo ictus repetit, & malleum sæpius in idem ferramentum revocat; ita Chrysostomus: *Rursus, inquit, vobis de eadem materia dicere volo, ut de mente vestra, improba jurandi consuetudo radicitus evellatur. Sextus hic dies est, quod de hoc præcepto ad-*

monio. Neque vanus, aut sine profectu monitor fuit. Actum est aliquid tor feris clamoribus; exhortuerunt aliqui criminis gravitatem; & à seipfis poenam expectaverunt. Hos Chrysostomus publice commendans: *No- vi multos referentes, inquit, mandatum fecimus, leges nobis met ponentes, & jurantibus poenas definientes, & legem trans- gredientibus poenam inferentes, poenam nobis congruam, quod est maxime charitatis indicium. Hec igitur curiosi scrutati co- gnovimus, & Deo gratias egimus, quod non in petris seminavi- mus. Quia tamen alii in eodem luto hæsitabant, aut dato emendationis specimine, ad ingenium redibant, Chrysostomus idem monere perseverans: Hæc, inquit, & de jurantibus dicere licet: nec enim isti ullum habent quem præ- mittant prætextum, sed cõtemptum solum. Et novi quidem quiddam gravi esse video jam & onerosum, admonitionis iugiter per- turbans: verum tamen non desino, ut vel meam reveriti impu- dentiam, improbi à juramentorum consuetudine abstineant. Idem proximis concionibus ingeminans: Volo itaque rursum de juramentis vobis loqui, erubescite autem. Mihi quidem grave non est diu nocturne eadem vobis dicere: timeo autem ne post- quam vos his multis diebus admonuero, multum torporem ve- strum damnabilem ostendam, qui in negotio tam facili, conti- nuè egatis admonitione. Nec tamen erubescite, sed & timeo vo- bis. Continua namque doctrina advertebimus salutariis quidem & utilis, torpenti vero dampnosa & periculosa. Etenim quan- to quis sapius audierit, tantò majorem ultionem attrahet, non faciens que dicuntur. Idem omnibus pæne aliis concioni- bus inculcat Chrysostomus.*

§. II.

Secundum caput fuit, à Juramentis ad perjuria fa- cillimè transire: fieri enim non posse, ut quis sæpe juret, & nunquam pejeret. Perjurium theologis est mendacium vel falsitas juramento confirmata. Hic & Augustinus velut capitalis triumvir juramenta gravissi- mè inculcas: Falsa juratio, inquit, non est leve peccatum; imò tam magnum peccatum est, falsum jurare, ut propter reatum falsa jurationis, Dominus prohibuerit omnem jurationem. Propinquat falsa jurationi, qui vel verum jurat. Hoc ipsum affirmatius asserens: Homo, inquit, qui per consuetudi- nem jurandi potest lingua in perjurium prolabi, bene prohi- betur jurare. Tantò enim longius erit à perjurio, quantò erit longè à jurando. Nemo hominum est qui frequenter jura- rat, quin aliquando pejeret. Certissimum & priscorum verbum:

Qui sæpe jurat, sæpe oportet pejeret.

De quo idem Hipponensis Antistes: Et ecce dico charita- ti resiste: ait, & qui per lapidem falsum jurat, perjurus est. Vn- de de hoc dico: quia multi & in hoc falluntur, & putant, quia nihil est per quod jurant, non se crimine teneri perjurii. Prorsus perjurus es, quia per id quod sanctum putas, falsum juras. Sed ego illum sanctum non puto: Sanctum putat, cui juras. Non enim quando juras, tibi juras, aut lapidi juras, sed proximo juras. Homini juras ante lapidem, sed nunquid non ante Deum? Non te audit lapis loquentem: sed punit te Deus fallentem. Vis ergo longè esse à perjurio; iurare noli. Totus in eandem sen- tentiam Chrysostomus concedens: Nec enim, inquit, hoc solum habet mali juramentum, quòd & temeratum & serva- tum juratos pæne facit obnoxios, quod in nullo peccatorum alio accidere quispiam videt. Sed & aliud non minus isto malum. Quod autem hoc est? quòd nequè volentibus neque studentibus sapius possibile est bene jurare. Primò quippe continuè juras & volens & invitus, & nesciens & sciens, & serid & jocò loquens, & ab ira sæpe elatus, & à multis aliis, omnino pejerabit. Ne- mo est qui frequenter juret, & non aliquando perjuret. Et eius rei velut causam assignans: Qui, inquit, mentiri non dubitat, nec pejerare timeret. Qui enim mentitur, veritatem in corde suo transgreditur: qui autem perjurat, in verbis suis trans- git Deum. Qui in jurando non timeret Dei præceptum negligere, nec in perjurando timebit. Quid ergo interest, inter Deum transire & veritatem transgredi, cum & ipsa veritas sit Deus?

A Hac sola est differentia, quia veritatem mentientes in corde transimus; perjurantes autem, Deum in verbis. Nam verbo hominibus satisfacimus, conscientia autem Deo. Ipse Deus qui perjurare vetuit, ipse & postea non jurare mandavit. Qui ergo in jurando non timet Dei præceptum negligere, nec in perjurando timebit. Multò difficilius est jurantem non pejerare, quam omnino à iurejurando abstinere. Vique addò est concessum & manifestum, quòd multum jurantem, & perjurum esse necessa- rium est. Impossibile enim, impossibile, os jurare assuetum non continuè pejerare. Mellifluus Bernardus illam Augu- stini & Chrysostomi sententiam omni calculo confir- mans: Vis, inquit, ut dicam tibi qualiter nunquam pejerabis? Nunquam jures; si non juraveris, nunquam pejerabis: si pejerare times, nunquam jures. Prohibe etiam tibi juramentum, tolle usum jurandi; periculosum est enim jurare: usus jurandi facit consuetudinem perjurii: usus jurandi ducit hominem ad perju- rium. Sit in ore tuo, Est, sit in ore tuo, non est. Veritas non indiget juramento. Fidelis sermo retinet locum sacramenti. O si Deus timeatur, inquit Augustinus, si perjuri expavescant: lingua frenatur, veritas tenetur, juratio tollitur.

§. III.

Tertium caput erat, non tantum non jurandum, sed nec juramentum sine necessitate postulandum. Qui ad jurandum provocat, aut juramentum exi- git, quandoque gravissimè peccat. Dilucidè Augusti- nus: Si sit eum scisse, inquit, novit scisse, vidit scisse, & co- git jurare, homicida est. Mem hoc acerbiori invectione repetens: Ille, inquit, qui hominem provocavit ad juratio- nem, & scit eum falsum esse juraturum, vincit homicidam: quia homicida corpus occisurus est, ille animam, imò duas animas; & ejus quem jurare provocavit, & suam. Scis verum esse quod dicis, & falsum esse quod ille dicit, & jurare compellis. Ecce jurat, ecce pejerat, ecce perit. Tu quid invenisti? Imò & tu peristi, qui de illius morte te satiare voluisti.

Chrysostomus hoc ipsum sollicitè ac peramanter in- gerens: Ecce admoneo te, inquit, ne aliquando hominem ju- rare compellas. Sive existimas eum bene juraturum, recede ab eo: sive existimas male juraturum, magis recede ab eo: quia etsi ille bene juraverit, tu quantum ad conscientiam tuam, perjurii illius factus causa. Chrysostomus nemo melius explica- verit quam ipse Chrysostomus, qui toties à se dicta hunc in modum exponit: Quid tibi Christus de juramento differat, horresce audiens, & desiste. Quid igitur de juramento inquit? Ego autem dico vobis omnino non jurare. Tu ve- ro legem jurare prohibentem contemnendo, juramentum fa- cis? O contumeliam, & insaniam! Idem enim facis, tanquam si quis legislatorem prohibentem interficere, ipsum cadis sibi socium esse jubeat. Non ita gemo & deploro, quosdam in viis jugulatos audiens, sicut gemo, & lacrymis prosequor, horresco, cum video quempiam prope mensam hanc venientem, & ma- nus imponentem, & evangelii jurantem attactis. De pecuniis, quas, dubitas, & animam occidis? quid tantum lucraris, quantum animam tuam & proximum ledis? Si enim credis quòd verax sit homo, ne juramenti necessitatem adducas: si verd noli quòd mentitur, ne pejerare cogas. Sed ut mihi satisficeret instandum erat, inquit. Imò tunc sufficientem capias satisfacti- onem, cum jurare eum non feceris. Nunc nempe domum re- gressus multam capies consolationem, agens Deo gratias, & di- cens: Benedictus Deus, quoniam me ipsum continui, neque adju- ravi frustra, nec temere: pereat aurum, pereant pecunie, ut hoc nobis maximè consolationem afferat, legem non præter- iisse, nec alterum coëgisse, ut hoc faceret. Cogita propter qua non adjurasti, & hoc tibi sufficiet in refrigerium & consolati- onem.

Omnino non jurandum luculentè docens Augusti- nus: Pejerare, inquit, immane peccatum est, à quo nos longè ad Publico- esse voluit, qui omnino ne juremus admonuit. Idem Hilario unice commendans: Iurationem, inquit, cave, quantum po- res. Melius quippe nec verum juratur, quam jurandi consuetudinem, & in perjurium sæpe caditur, & semper perjurio propinqua-

jur. Sed illi, quantum aliquos eorum audiri: quid sit jurare, prorsus ignorant: putant enim se jurare quando in ore habent: Scit Deus, & Testis est Deus, & Testem Deum invoco super animam meam. His sese iuramentis obstringunt mileti, propter unicum quandoque obolum, frequenter ob latam caprinam. Quod Chrysostomus deplorans: Nescitis, inquit, quid sit Deus, & quali ore invocari debeat. Porro quoties de viro aliquo virtutibus praedito loquimur, dicimus: Lava os tuum & sic memor sis: nunc vero honorabile nomen, quod est nomen super omne nomen, quod admirabile in omni terra, quod demones audientes contremiscunt, simpliciter disrabimus; & consuetudinem quae id fecit contemptissimam &c. Si simpliciter nominare Deum non omnibus fas erat, hoc certe quod in testimonium vocatur, quanta audacia, dic oro, quanta insania: quomodo enim non absurdum, servum quidem non audere dominum nominatum, & sine honoris praefatione appellare: Angelorum vero Dominum temere & contemptum ubique saeculare. Nunquid quoniam non punimur, putamus nos neque peccare? Ecce dico & testificor vobis, emendate iuramenta, eos autem qui non obtemperant, omnes mihi indicate; ecce praesentibus vobis, imperabo his qui ad ministerium segregati sunt domuum orationis, & ad monito & ostendam nulli jurare licere, imò neque aliter. Ad me igitur ducatur, quisquis fuerit, quoniam & hac oportet coram vobis agi, quasi pueri effectus. Ergo, nec tu ipse iura, nec alios ad iurandum impelle.

§. IV.

Quartum caput, E consuetudine iurandi, velut è fonte, mala scaturire innumera, iidem, quos supra laudavi sanctissimi doctores testantur. Et Hipponeus quidem praefatus Augustinus de seipso candidè ac nervosè: Iuravimus & nos, inquit, passim habuimus istam terribilem consuetudinem & mortiferam. Dico charitati vestrae, ex quo Deo servare copimus, & quantum malum sit in perjurio vidimus, timuimus vehementer, & reverentissimam consuetudinem timore frenavimus. Frenata restringitur, restricta languescit, languescens emoritur, & mala consuetudini bona succedit. Gravissimum hoc malum est, saepe iurando, in eam iurandi consuetudinem venire, quae paulatim in mores transeat. Quod idem Augustinus deplorans: Sed tamen, inquit, aliud habet humana pessima consuetudo. Et cum tibi creditur, iuras: & cum nemo exigit iuras; & horrentibus hominibus iuras; non taces iurando, vix es sanus non perjurando. Ergo, si disjunctus homo, quoties iuret per totum diem, quoties se vulneret, quoties gladio linguae se feriat, & transigat, quis in illo locus invenitur sanus: quia ergo grave peccatum est pejerare, compendium tibi dedit Scriptura, Non iurare.

Chrysostomus hic sibi verè similis, hoc est, aurei eloqui orator, inanium iuramentorum damna percensens: Satana laqueus est, inquit, iurare. Disrumpamus igitur funes, & facile contra omnem custodiam consistemus; liberemur à laqueo satanae. Vide enim quanta correxeritis, si quidem hoc correxeritis. Primum quia consuetudinem difficilem exsecutus; Deinde ratione malam; & unde omnia mala, nempe quod putatis nihil referre, & nihil nocere; Tertio furorem; Quarto avaritiam. Omnia enim hac iuramentum parit. Audistis prophetam de iuramentis hodie nobis loquentem? Respexi oculis meis, & vidi, inquit. Quid tu vides? Et dixit: Video falcem volantem longitudine cubitorum viginti, & latitudine cubitorum decem. Et ingreditur domum, inquit, iurantis nomine meo, & dissolvit eam in medio, & suffodit spides & ligna. Quid tandem est dictum? & quid de causa in specie falsis, iurantes sequi pena videtur? Ut ultionem inevitabilem esse, & supplicium evitari non posse videas. Ensem enim volantem forsitan aliquis effugere poterit: falcem autem in collum delapsam, & pro funiculo factam, nemo fugere potest. Cum autem & ala adsint, qua salutis ulterius spes: Quia vero causa lapides & ligna iurantis dissolvit? Ut ruina alius correctio fiat. Postquam enim iurantem mortuum terra condidi: necesse est, domus dissoluta, & ruina facta, praeceperuntibus omnibus & cernentibus admonitio erit per aspectum, ut non eadem audiant, ne eadem patiantur, & accusatrix erit mortui criminis

continua. Non ita pungit ensis, sicut iuramenti natura, non se occidit gladius, sicut iuramenti plaga. Scribe super parietem domus tuae, & super cordi tui parietem, falcem illam volantem, & hanc ad maledictionem volare puta: & continuis ipsam recoga, sive alium iurantem videas, cohibe, veta, & carum tuum gere servorum. Idem Chrysostomus de Sathis regis iuramento differens, ut compendio plurima iuramentorum damna enumeret: Saul, inquit, ex amico iuramento plurima texuit perjuria. Vides, & tyrannidem, & filia eadem, & bellum civile, & pugnam, & jugulationes, & cruores, & infinita cadavera ex uno parata iuramento? Vides quot homines ex eodem volunt, tum invitos perjurio obnoxios, unum fecit iuramentum: quot mala molitum est, quot cades patravisti? Cum hi autem omnibus audisti Christi sententiam dicentem, quid non pejerare tantum, verum, & iurare quomodocunque, diabolum est, & tota maligni machinatio. Audisti quod ubique iuramenta sequuntur perjuria. Haec, inquam, omnia congregans, inscribe cordi tuo. Vitam mihi licet frequenter iurantium animas exuere, & ipsorum oculis subicere vulnera & cicatrices, quas quotidie capiunt à iuramento. Nec admonitionis aut consilii indigeremus: quoniam vulnereum aspectus sermonis patenti, huic improba consuetudini adherentes, à malitia adducere possent.

Tandem Chrysostomus, quia multos hac in re cessatores aut ratiocinarios expertus est, ovem exuens, leonem induit, & è suggestu omnibus edixit publicè vocem quicunque jam toties moniti inanibus iuramentis non abstinerent, templo exclusos se scirent, templi limina non amplius contingerent, quamdiu scelestam iurandi consuetudinem perleverant. Et hac Chrysostomi verba sunt: Quotidie clamamus, insonamus in aures vestras. Qui audiat, nullus est, &c. Propterea magnà & clarà voce praedico vobis ac testificor, ita ut eos qui sic praeparantur, quia quae à maligno sunt, loquuntur, hoc est enim iuramentum, ne limina ecclesiastica ascendant. Praestitutus autem vobis sit mensis praesens, ut sic corrigamini. Ne enim mihi dixeris, quid minus eorum urget necessitas, quia fidem non invenio. Jam tamen mihi illos qui ex consuetudine iurant. Scio quid multum noverisunt. Atqui melius est nos nunc ridere quam olim deplorare. Et hoc ipsum, quod id melius ab omnibus capiatur, repetens: Si quis, inquit, noluerit hoc praeceptum perficere, quemadmodum rubā quādam per verbum promittit, abstineat à liminibus ecclesiasticis illis, sive princeps sit, sive alius diadema cinctus.

§. V.

Quintum caput Iurandi consuetudinem facile posse corrigi. Chrysostomus & saepe & aperte ingrens, Malam, inquit, iurandi consuetudinem ab ore nostro auferamus, frenum imponamus linguae; Nullo hic sumptu opus: nullus labor exigitur, non indiget magnā temporis morā executionatio. Sufficit velle, & totum factum est. Res enim hac à consuetudine pender. Etiam oro & obsecro, studium tale afferamus. Quam autem negligentia multorum bonos hos contatus eludat, explicans: Contingit autem sapius contrarium, inquit, eos qui semel bene aliquid fecerint, in eadem peccata ex ignavia iterum relabi, ita ut inde quasi impossibilitate reliquum opus constituere, ut si possumus nobis ipsi legem non iurandi. Virtutem exercuimus ad dies tres, quatuor: post hoc necessitate quadam urgebit, collectum lacrum totum disperdimus, ac incidimus. Deinde in tantam pervenimus frigiditatem ac desperationem, ita ut non libeat eadem ultra attingere. &c. Verum non oportet negligentem agere etiam si, sed iterum laborem aggredi. Os enim quod nescit iurare, statim etiam Deum in precibus invocans conciliabit, & gravi plagā diabolum percutiet. Os quod iurare nescit, neque contumeliis afficiendi consuetudinem habebit. Nam quemadmodum ex domo quadam, ita à lingua hunc ignem ejice, & foras trahere.

Augustinus ad vincendam iurandi consuetudinem gravissimè hortatus: Laborare debetis, & consilgere, ait, ad-
vitiis malis

Chrys. hom.
9. in acta
Apost. proxi-
me finem &
hom. 7. ad
p. p. fine.

4. Mala
scaturire
innumera.
Aug. tom.
10. serm. 28.
de verb.
Apost. post
med.

Idem serm.
cod.

Chrys. hom.
11. in acta
fine, & hom.
14. in ead.
fine & hom.
15. ad pop.
post med.
hom. 9. ad
p. p. fine hom.
14. ad pop.
post med. &
fine hom. 19.
ad pop. fine.
Zacharia. 6. 5.
2. 1. & 4.
Vulgata le-
ctio habet.
Volumen
volumen.

CAPVT XXX.

versus consuetudinem vestram malam, malam, malam, & valde malam: & tollere iuramentum de oribus vestris. Cavete à falsà iuratione, cavete à temerariâ iuratione. Ab his duobus malis securissime cavebitis, si consuetudinem iurandi à vobis abstuleritis.

Atque ut vim verbis adderet, suo eos exemplo hortatus: Scio, inquit, grave esse consuetudini vestra, sed & grave fuit consuetudini nostra. Timendo Deum, abstulimus iuramentum de ore nostro. Ecce vobiscum vivimus. Quis nos audit aliquando iurantes? Nunquid non consueveram quotidie iurare? At ubi legi, & rimari, luctatus sum contra consuetudinem meam, in ipsâ luctatione invocavi Dominum adiutorem. Prestitit mihi Dominus adiutorium non iurandi. Nihil mihi facilius est, quam non iurare. Hoc ideo admonui charitatem vestram, ne dicatis: Quis potest?

Bernardus iuramenta vinci nō appetendo, docens; Sic ut ait, mentiri non potest, qui non loquitur; sic pejorare non poterit, qui iurare non appetit. Quacuq; arte verborum quique iuraret, Deus tamē qui est testis conscientie, hoc ita accipit sicut ille, cui iuratur, intelligit. Chrysostomus quo magis suos animaret ad victoriam vitii tam infestis: Quid horum, inquit, in iuramentis quas praetendere possumus? quam difficultatem? quem sudorem? quam artem? quod periculum? exiguu tantum studio nobis est opus, & brevi nobis totum expeditum fuerit. Nec mihi dicas, maiorem expediti; sed nisi totum emendasti, nondum te quidquam fecisse puta. Hoc enim exiguum neglectum, & omne reliquum destruit. Sapius namque domos adificantes homines, & rectum imponentes, unus regula excusse curam non gerentes, totam domum perdidit. Nobis itaque quotidianas ponamus leges. Interim à facilioribus exordiamur, ab ore nostro iurandi frequentiam amputemus, lingue frenum ponamus. Deum iuret nemo. Non est hic impendium, non est hic labor, non est hic temporis exercitatio: sufficit velle, & totum factum est; consuetudinis enim opus est. Precor & supplico, studium hoc impendamus. Ergo Satânica hæc iurandi consuetudo, uti aureus orator loquitur, superari non difficulter potest, modò eam velimus superare. Ea de causâ hoc ipsum diversis concionibus retractans: Qui tandem, inquit, queso te, labor est fugere iuramentum? nunquid pecuniarum opus est impensâ, nunquid aurum ac sudore perficitur? tantummodo velle sufficit, & totum quod iubetur impletum est &c. Cum igitur istud corrigere tentaveris, etsi semel, etsi iterum legem consuetudine fallente fueris transgressus, ne tunc quidem animo desperes, sed rursus resurge, atque id ipsum studium sollicitus apprehende, & absque ulla prorsus ambiguitate superabis.

Ut autem Chrysostomus pectori altè insingeret impar hominum & Angelorum studium in divini nominis cultu, quamque facile sit curâ & studio hoc vitium debellare: Seraphim, inquit, stabant circa ipsum, & clamabant alter ad alterum, & dicebant, Sanctus, Sanctus Sanctus Dominus Deus Sabaoth: plena omnis terra gloriâ ejus. Vidisti cum quanto timore, quanto horrore nominant eum glorificantes & laudantes? Tu verò in precibus quidem & supplicationibus, cum multo ipsum invocas torpore, quando horrescere oportebat, varia quadam, & alia super alia connectis iuramenta: & qualis venia, que verò nobis erit excusatio, etsi milles consuetudinem objiciamus? Dicitur quod quadam exteriorum oratorum præ quadam stultâ consuetudine, dexterum cundo humerum continue movebat, sed tamen consuetudinem vici, & gladios acutos utrinque humeris imposuit, ut vulneris timore, membrum ineptè se movens corrigeret. Hoc & tu lingua facias, & ipsi pro gladio divina pena timorem impone, & omnino superabis. Impossibile enim, impossibile inquam, est, meditantes & studentes, & opus hoc facientes, unquam superari. Ergo abunde satis demonstratum est, iurandi pessimam consuetudinem à nemine non superari posse. Sequitur, quibus ea modis superari possit. De quo capite proximo agemus, unâ etiam diversis objectionibus responsuri.

Quibus objectionibus IURAMENTA soleant excusari, & quibus modis ea extirpari possint.

VTi lingue sunt quæ cano mersæ, sordibus unice gaudent, ita sunt lingue, quas diabolus nunquam non perfultat. Hæ non decimam tantum, sed vel tertiam sermonum partem consecrant cacodemoni, idololatriis pejores. Basilus Magnus: Illud Clinia, inquit, unus è sectâ Pythagoræ philosophi difficile est credere, quod casu non de industria nostros imitatur. Nam ille, cum per iuramentum mutam trium talentorum liceret vitare, injuriam pati maluit quam iurare. Priscus Romanis lex erat, ut qui per Janum iurasset, morte plecteretur, nisi id fecisset senatu permitte. Pudeat Christiani sanguinis homines in naturæ legem tam turpiter delinquere, & vitæ auctorem toties ore temerario incescere.

Suidâ teste adeo parcebant prisca Diis suis, ut, ne per eos temere jurarent, sæpe dicerent: Per hanc rugolam pellem meam, Per aridam hanc arborem: Has fores restor, Per hunc gladium, Per hoc sceptrum, Per relum hoc meum iuro.

Japones, quod multâ ratione faciant, iuramenta plurimum averantur. Plato, è rationis iridem dictamine, graviter reprehendit iurantes. Non enim tantum pejorandi periculo proximi sunt, qui crebrò iurant, sed insuper tam sibi quam aliis incommodant: sibi quidem, quos mendaces, & indignos quibus credatur, nisi teste Deo, significant: aliis autem, quos, uti ait Hieronymus, suspiciosos & incredulos judicant. Profectò nemini minus creditur, quam crebrò iuranti, qui cum prisco poetâ fateri de se cogitur,

Iurare aut falsum dicere, par habui.

Anso. Edyll.

Sanctioris vitæ hominibus, qui non facile unquam iurant, priscom illud convenit:

Is maximè, nunquam qui iurant, creditur.

Trach. vet.

Gregorius Nazianzenus, etiam voto se adstrinxit, nunquam iuraturum: quod laudabili constantiâ ad ipsam usque tumbam servavit. Leontius Antistes qui res gestas Alexandrini Patriarchæ Joannis, quem Eleemosynarium vocat, conscripsit ipso narrationis exordio: Primum, inquit, & præcipuum ejus bonum fuit, quoniam omnimodis non iuravit; quoniam Christus suis præcepit: Sit sermo vester, est, est non, non; quod autem hic abundantius est, à malo est.

Math. c. 5. v. 37.

Comes Ariani Elecarius, non tantum ipse non iuravit, sed nec in ullo suorum famulorum iurandi licentiam vel minimam tulit. In eos qui vel iurassent, vel alteri malè precati fuissent, hæc fuit decreta poena: Diem unum carcere includi, aut prandio cenâve privari, aut coram aliis humi sedentem, pane solo & hydrâ cenare. Si quis restitisset, alium sibi dominum quærere jubebatur. Hac ratione famulos ad Linguam peratentos reddidit. Sed sunt hic quæ objiciantur, inanibus & noxiis his iuramentis, defendendis: ad quæ singula ordine respondemus.

Objectiones pro iuramentorum defensione:

§. I.

Primum est quod iuramentis videatur patrocinari, i. Consuetudo ipsa. Utique, ajunt, tam severe non puniet Deus, hos oris humani errores; sic assuescimus. His Chrysostomus acre acetum propinans: Ne mihi jam ali- quis, inquit, consuetudinem prætextat: propter hoc enim indig- nor & irascor, quoniam consuetudinem (ajunt) vincere non possumus. Et nisi consuetudinem vincamus, quomodo concupiscentiam vincemus, cuius radix habet à naturâ principium? Concupiscere enim naturale, malè verò concupiscere jam est voluntatis. Iurare nempe nec capit à voluntate principium: sed ex negligentia solâ. Et tu dicas, quod non ex rei difficultate, sed propter